

## Ad Martialis distichon IV, 52 commentariolum

### Distichon hoc

Gestari iunctis nisi desinis, Hedyle, capris,  
Qui modo ficus eras, iam caprificus eris

ambagibus refertum esse satis constat. Perspicuum est paene hoc solum, quis fuerit Hedylus iste, quem poeta alloquitur. Nam ex epigrammatis I, 46 et IX, 57 patet Hedylum scortum esse virile notum, fortasse etiam cinaedum<sup>1</sup>. Quid autem sibi velit Hedylum esse ficum periclitarique etiam in caprificum converti et quo modo Hedylus capris gestetur, de his omnibus est inter viros doctos iam longa disputatio. L. Friedlaender interpretatus est Martialem hoc loco vocabulum 'ficus' pro ficoso metonymice usurpare<sup>2</sup>, ita ut Hedyli quaestum turpem, per quem haemorrhoidas comparaverit, significet. Eodem modo videntur hoc 'ficus' intellegere interpretes temporis recentioris H. J. Izaak, R. Helm et D. R. Shackleton Bailey<sup>3</sup>. Attamen si hanc vocabuli 'ficus' significationem acceperimus, nullo modo talem vocabuli 'caprificus' sensum excogitare poterimus, ut statum etiam peiorem, quam morbum, quo Hedylus nunc affectus sit, significaret. Itaque aptissime observavit V. Buchheit apud poetas Graecos σῦκον pudendum muliebre (inprimis v. Aristoph. *Pax* 1318), συκῆν autem meretricem (potissimum apud Archilochum fr. 15 Diehl) significare et rectissime coniecit Martialem, qui poetas Graecos libens imitatur, Latinum vocabulum 'ficus', quod utriusque vocabulo Graeco respondet, in hoc epigrammate vi vocabuli 'meretrix' usurpavisse. Nam si hanc interpretationem accipiemus, perspicuum erit, quid vocabulum 'caprificus' in hoc epigrammate sibi

---

<sup>1</sup> M. V. *Martialis epigrammata*. Illustraverunt quinque Parisiensis Academiae professores. I (Parisiis 1825) 435; V. Buchheit. "Feigensymbolik im antiken Epigramm", *RhM* 103 (1960): 3, 200–229 (v. p. 220).

<sup>2</sup> M. Valerius Martialis. *Epigrammaton libri*. Mit erklärenden Anmerkungen von L. Friedlaender. I (Leipzig 1886) 362 ad locum. Ita etiam J. Rosenbaum. *Geschichte der Lustseuche im Altertum* (Berlin 1904) 124.

<sup>3</sup> Martial. *Epigrammes*. I. Texte établi et traduit par H. J. Izaak. I (Paris 1930) 133; Martial. *Epigramme*, eingeleitet und im antiken Versmaß übertragen von R. Helm (Zürich 1957) 176, 580; Martial. *Epigrams*. Edited and translated by D. R. Shackleton Bailey. I (Cambridge, Mass. 1993) 312.

velit: Hedylum e quasi femina in marem conversum iri. Caprificus enim vel ficus agrestis ab agricolis antiquis ad ficos domesticas fecundas reddendas usurpabatur, nam credebant sine tali ita dicta caprificatione ficos domesticas fructus tenues vel omnino nullos efferre, proptereaque caprificus pro mare, ficus autem domestica pro femina accipiebatur (Plin. *NH* XV, 19 [21]; XVI, 27 [50]; XVII, 27 [43]<sup>4</sup>). Itaque Hedyli cum capris maribus (in ablativi forma ‘capris’ latent sane ‘capri’, non ‘caprae’, nam capri tantum cum vocabulo ‘caprificus’ congruunt), qui iam antiquitus bestiae lascivae habebantur, communitio minuitur ei a feminae statu in marem transitum (ut etiam in Mart. VII, 57), qui statim per vocabulum ‘caprificus’ lepide alluditur, ut verborum lus “caper – ficus – caprificus” exsistat<sup>5</sup>.

Post hanc explicationem palmarem restat nobis tantum de Hedylo in versu primo capris iunctis gestando quaedam disquirere. V. Buchheit dubitat, num Hedyli iste revera se in curru vehi hircis iunctis ostentaverit<sup>6</sup>. Domitius Calderini et Brodaeus satis insulse acceperunt vel capras pro meretricibus vel capros pro servis impuris et olentibus, qui lecticam portaverant<sup>7</sup>. Attamen ut nobis videtur, epigramma hoc etiam Romae Martialis tempore non satis perspicuum fuisset parumque salis habuisset, nisi versus eius primus ilico facinus Hedyli bene notum in memoriam revocavisset. Martialis ipse in epigrammate I, 104 de tigribus, pardis, ursis, visontibus, apris et cervis iunctis ut de re quamquam mirabili,

---

<sup>4</sup> Vide etiam H. Graf zu Solms-Laubach. “Die Herkunft, Domestikation und Verbreitung des gewöhnlichen Feigenbaumes (*Ficus Carica* L.)”, *Abhandlungen der königlichen Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen* 28 (1882) Abh. 2.

<sup>5</sup> Buchheit, *op. cit.*, praesertim 218–222. Cf. U. Joepgen. *Wortspiele bei Martial*. Diss. (Bonn 1967) 131–133; K. Siems. *Aischrologia. Das sexuell-häßliche im antiken Epigramm*. Diss. (Göttingen 1974) 121–124; J. Bramble. *Persius and programmatic satire* (Cambridge 1974) 93–94. Lusur verborum similis his trinis “caper – ficus – caprificus” saepissime apud Martialem invenitur, e. g. in III, 67, ubi Phaethon et Aethon, nauta et Argonauta conferuntur. Quae autem de radicem caprifici vi Martialis dicit (X, 2), ad epigramma nostrum non pertinet. Non aliter, si in epigrammate III, 24, 14 Martialis distinguit caprum a hirco subauditque sub capro hircum castratum, quem usum etiam Varro apud Gellium IX, 9, 9 probat, nihil refert ad hoc epigramma. Nam Vergilius (*Ecl.* 7, 7), Horatius (*Epod.* 10, 23) et Ovidius (*Met.* X, 327) plane animal incolume caprum dicunt, sicut etiam Martialis ipse in epigrammate IX, 50 (51), ubi absurdo absurdus esset putare Martialem depingere velle Amorem ipsum equitare in capro excastrato. Incolumes sunt sane capri etiam in epigrammate nostro.

<sup>6</sup> Buchheit, *op. cit.*, 218 sq.

<sup>7</sup> *M. V. Martialis epigrammata*. Illustraverunt quinque Parisiensis Academiae professores. I, 435.

tamen satis nota narrat. Apud Scriptores Historiae Augustae *Heliog.* 28, 1–2 legimus Heliogabalum canibus, cervis, leonibus et tigribus iunctis vectatum esse. Haec sane omnia ostentationis causa peragebantur, et Hedylum quoque veri simillimum est ostentationi deditum fuisse, ut semper scortis proprium est. Itaque credo Hedylum revera Romae in publico hircis iunctis curru vectatum esse, quamvis sunt capri et caprae pecudes morosissimae<sup>8</sup>. Verbum ‘gestare’ in genere passivo satis raro de vehendo usurpatur, attamen invenitur hoc sensu apud eundem Martialem (I, 12, 7–8):

Gestare biiugis Regulus esset equis.

Itaque puto Martialem epigramma hoc scripsisse post Hedyli facinus: tunc enim epigrammatis sensus omnibus patebat et epigramma hoc homines otiosos satis delectare poterat. Restat demum quaerere, cur Martialis Hedylo per iocum minitetur eum in marem conversum iri per caprorum propinquitatem? Cur sit conversio haec in peius reformatio? Responsum est in aperto, nam non habebit tunc Hedylum, unde vivat.

Alexander Zajcev  
*Universitas Petropolitana*

Эпиграмма в основном правильно интерпретирована В. Буххейтом в 1960 г., но получает подлинную комическую силу, если предположить, что Гедил в самом деле пытался привлечь к себе внимание, катаясь на повозке, в которую были запряжены козлы.

---

<sup>8</sup> Fortasse inductus erat Hedylus ad facinus insolitum monumentorum artis contemplatione, ubi saepe capri (vel caprae) currui iuncti effecti sunt. V. praesertim L. Stephani. “Erklärung einiger Vasengemälde der Kaiserlichen Ermitage”, *Compte-rendu de la Commission impériale archéologique pour l’année 1863* (St.-Pétersbourg 1864) 211–275 (v. pp. 223–226); L. Stephani. “Erklärung einiger im Jahre 1868 im südlichen Rußland gefundener Gegenstände”, *Compte-rendu de la Commission impériale archéologique pour l’année 1869* (St.-Pétersbourg 1870) (v. pp. 43, 62, 64, 67, 73, 86, 88, 89).